


ORATIO

IN FVNERE AVGVSTISS.
 POTENTISS. FOELICISS. PACI-
 FICI, PIENTISS. IMP. FERDINANDI I.
 HABITA A REVERENDISS. FRANCISCO FOR-
 gacz, Episcopo Varadien: præposito
 Posonien: S. Cæs. M. Consilia-
 rio, &c. Septima Augusti,
 1565. in Templo
 D. Stephani.



VIENNÆ AVSTRIÆ EXCV-
 debat Michael Zimmerman.

Anno M. D. LXV.

*D. M. M. Steinmetz, saluberrimæ facultatis Medicæ,
 Baulario, atq; Mathematicæ professori originario, et
 affini suo inuicidiss: Johannes Kalla scilicet*

DANIEL A RECHNECZ.

Laudibus hæc plena est meritis oratio: plura
Sed verbis semper Cæsaris acta ferent.
Hæc tamen in summo recitavit funere præsul
Qui dignus tanto munere visus erat:
Posteritas repetat memor ut quæ summa reliquit:
Cætera nam virtus sustulit alta polo.

ORATIO.

QUod vnum semper, Augustissime,
atque Inuictissime Imperator, vosq;
Serenissimi, & Illustrissimi Principes, pri-
mum mihi antiquissimumq; fuit, vti in
omnibus quæ agerem, diuinam mihi opem
atque auxilium implorandum putarem, id
mihi maxime esse agendum hoc tempore
constitui. De Ferdinando enim Cæsare
mihi verba facienda sunt, de summa eius
incredibiliq; virtute, de rebus gestis, de
meritis in Christianam Rempub. maximis
atque Amplissimis, quæ quando me æqua-
re dicendo, nulla vi aut copia orationis
posse intelligo: tum idem Deum immor-
talem parentem conseruatoremq; omni-
um precor, ita mihi, dum hoc postremum
pietatis munus, optimi Principis & fortis-

A ij fini

fimi memoriæ persoluo, volens propicius-
que adsit, vti illius virtutibus Clarissimis
& maximis cōmemorandis, vos, ad exem-
plum antiquæ virtutis excitare reuocare-
que adeò queam. Quo in munere fungen-
do, simul illud me affecuturum spero, vti
dum mecum paternas laudes atque indo-
lem, in filio eodem Imperatore Maximo
& Fortissimo, non minus quam oris linea-
menta effigiemque agnoscitis, desiderium
tanti amissi Principis leniendo, Maximilia-
ni foelix, faustumque Imperium, Christia-
næ Reipub. vniuersæ gloriosum idem
Austriæ familiæ, formidolosum commu-
nibus hostibus vobis aliquando fore spon-
deatis. Ferdinandum amissimus, (nisi reui-
uiscere eundem, Augustissima ac Foelicif-
sima relictæ prole, immortalernque adeò
fore credendum est) Ferdinandum, in-
quam, amissimus, in quem vnum ita Deus
im-

mortalis, summa omnia diuinaque contu-
lerat, v^r, quod votis omnibus optandum
nobis expetendumque fuit, si diutius eo
Principe Christianique orbis moderatore
vti licuisset, huius vnus auspicijs, virtute,
foelicitate, aut nullius praeterea tot malo-
rum finis, quae nos diu oppresserunt im-
minentia vrgent fuerit sperandus. Ita dum
ex hoc loco de eius eximijs laudibus dice-
re instituo (id mihi imbecillitatem mea-
rum virium agnoscenti, & cunctanter &
pudenter fuit agendum) tot vndique res
tam inter se variae dicenti occurrunt, tot
expeditiones, tot bella pro tuendis Impe-
rij finibus, pro Maiestate Christiani no-
minis suscepta, vti illud quidem non de-
sperem fore vt animi mei studium in opti-
me de me meritum Principem declarem,
vti nulla orationis copia atque artificio,
tantarum rerum magnitudinem videar

A iij asse-

assecutus, id vero minimè vnquam futu-
rum putem. Sed me illud tamen in re tam
gravi, difficilique consolatur, quòd apud
eos viros verba facio, quibus quò propius
licuit domesticas eius virtutes, fortitudi-
nem, sapientiam, magnitudinem animi
spectare (& si longè lateque horum fama
peruagata est) eò mihi æquiores futuros
spero. Ita autem statuendum est, quisquis
ille futurus sit, qui vt maxime ab ingenio
& ab eloquentia paratus, se existimet pos-
se consequi dicendo, quæ ille viuendo gef-
sit, eum planè suarum virium oblitum,
cum suscepti à se muneris magnitudinem,
tum apud quos verba faciat ignorare. He-
ret enim infixæ vestris animis, atque adeo,
vt nulla sit diuturnitate temporis obsole-
tura, immortalis Ferdinandi ac diuina vir-
tus, lumen ingenij, inuicti, ac celsi animi
robur, religio, sapientia, quæ si vlla vi aut
vber-

uirtute orationis explicari possint: tum
eius esse hoc munus censeatis, qui æquè
Princeps in dicendo ut Princeps in agen-
de habitus Ferdinandus est, longe vnus in-
ter omnes eloquentiæ laude excellat. Quæ
quidem, etiam si me minimè fugiunt, siue
tam complecti animo diuina eius, atque
immortalia in Rempub. merita volueritis,
siue quibus me beneficijs augendum per
petuò honestamque curauit, tum non
haud vno nomine adductum accessisse
dicendum, ab eodem arrogantia crimam
longe abesse, quod grauiores partes, quæ
meæ vires ferant, mihi imponi passim
sed pietatis, sed studij, sed officij qui mo-
meritum aliquando existimetis, id futu-
num sit, meæ in Optimum ac Summum
Principem obseruantia, in qua grati
mihi posthac facultas relinque animi

animi significandi extare ad posteritatem
voluerim. Ereptus nobis est Ferdinan-
dus, si res illius gestæ, si pietas animi, mo-
rum sanctitas, vita instituta & rationes spe-
ctentur (quando satis ille laudi & gloriæ
vixit) minime immatura morte: si Rei-
pub. tempora, calamitates, impendentia
bella à seuisimo hoste atque immanissimo,
non immatura morte ille atque importuna
nobis maxime ereptus est. Æquè enim
idatus Christianæ Reipub. causa, positus
vigim celso & sublimi loco, vt esset qui sua
malitia, sapientia, consilio imminencia
us æque plorando à nobis arceret: mortu-
munis sa nostra causa lugendus, tanta cõ-
mis, luctu utis iactura facta deflenda, lacri-
tum funi, moerore testanda, monumen-
constituendi doloris illustre ponendum
Habetur umque est.

hoc parentibus à nobis pieta-
tis,

tis, in unum quicumque illi sint, quibus hu-
ius lucis usuram referimus acceptam (ni-
hil enim æquius esse ducimus, quàm in eo-
rum morte fletu, & lacrimis nostrum do-
lorem testari, per quos nobis vita licuit
frui) mortuo Imperatore, fortissimo, iu-
stissimo, sapientiss: qui non fortunæ teme-
ritate, sed diuino consilio, non casu, sed
sapientissimorum hominum suffragijs, non
commendatione nobilitatis, sed virtutum
maximarum delectibus, qui patriæ pater,
Dux, Imperator, tot populis, tot gentibus,
tot nationibus præesset, qui exemplo do-
mesticarum laudum ad gloriam, ad de-
cus, ad immortalitatis studium suos exci-
taret, hostes virtute, robore animi, autori-
tate parva optimis vitæ rationibus, fama,
Maiestate nominis in metu contineret,
quibus verbis, qua orationis vi, quo elo-
quentie flumine conceptum animi dolo-

B rem

rem exprimere, declarare nos posse arbitramur? Neque vero hæc vna est nobis causa doloris, aliæ præterea sunt & maximæ & iustissimæ, vt enim liberi non ob id solum parentes colunt, quod se ab illis in lucem susceptos, altos, educatos, ad honeste vitæ instituta conformatos meminerint, Sed etiam quod eorum summa indulgentia vtantur? quod se vnicè amari ab his, quod ferri in oculis animaduertunt. Ita tui Ferdinande Cæsar desiderio angimur, quod omnia nobis munera cumulatè persolueris, quæ sunt liberis à parentibus expetenda, quod nos foueris charitate incredibili, liberalitate, benignitate complexus sis, tuo consilio sæpe, & sapientia tectos seruaris, sed quod tua erat in nos summa diligentia, charitas singularis amor, vt id modo videreris, te vti homines virtute Principem, iustitia recte factis,

ctis, rerum gestarum magnitudine suspi-
cerent & vererentur: moderatione, æqui-
tate animi, lenitate, vt minime de summa
tua dignitate decederes, parentem eundem
indulgentissimum, mitissimo ingenio, co-
mitate, facilitate & suauitate morum ma-
xime amandum, non iam tacitis votis, sed
lætis omnibus, atque exclamationibus, do-
mi forisq̄ue quocunq̄ue incederes, certa-
tim effusi prosequerentur.

Ac mihi quidem de Immortalibus ac
diuinis Ferdinandi laudibus dicere institu-
enti, longe alia ratio videtur in eunda at-
que vfos ceteros intelligo, qui summos ho-
mines Regesq̄ue maximos laudare aggre-
diuntur. De maiorum enim nobilitate, de
rerum gestarum gloria, de victorijs, tri-
umphis ita multa dicunt, vt de maiorum
meritis, maximam gloriæ partem, quod
præposterum est, in eos quos laudant, de-

B ij riua-

riuare videantur. Ita ille sapientissimè stauit, tum posteris maiorum decora esse ornamento, tibi quidem partam ab illis gloriam, non solum sibi hereditariam relictam, sed debitam etiam summo virtuti meritisque in homines singularibus, quocunque illi loco nati essent se fuisse consecuturos probarent. Itaque quod se ortum ex augustissima familia meminisset, in qua Clarissimi belli Duces, summi Reges, Imperatores, rebus maximis terra marique gerendis, plurimi floruisent: quod Fridericum proauum, Auum Maximilianum, Philipum patrem, fratrem Carolum, atque illum non sua modò ætatis, sed omnium seculorum Imperatorem Fortissimū & Maximum, domesticę glorię & laudis autores tantos haberet. Hinc sibi addi stimulos atque adeo admoueri faces, quibus animum ad maximarum rerum studium

in-

inflammaret, tanquam sibi cū alienis, non cum suis esset de gloria suscepta contentio, minime ille quidem obscure præ se ferebat. Quæ cum essent, ita se ille iam à prima ætate comparauit, vt non solum ex tanta familia natum se, id quod à fortuna haberet, sed dignum etiam qui ex ea nasceretur optimis artibus imbuendo animum, & quæ viro Principi sunt ornamento, id quod magnæ ac spectatæ virtutis est, facile demonstraret. Hinc decedente Ferdinando rege Catholico Carolo fratri possessionem amplissimorum regnorum in Hispanijs, in Gallia Belgica in Italia, ac noui orbis imperium relinquit: ipse admodum adolescens præter Noricos, Carnos, Austriam qua paternæ ditionis hæreditate creuisset, ad Pannoniæ & Bohemiæ regna, adiectis Illirys & Marcomannis, incredibili populorum consensu, vt dari hoc vnus Fer-

B iij dinan-

dinandi virtuti, non maiorum gloriae appareret est euectus.

Erant quidem in Ferdinando, id quod neminem vestrum ignorare arbitror, cum alia omnia cumulata quaecumque summis regibus studia populorum, animosque conciliant, tum humanitas quaedam mirifica & singularis: liberalitas quidem tanta, ut non id à fortuna habere (etiam si in illum omnes suas copias effudisset) Sed ab ingenio, atque animi in quadam immensa, quae nullis finibus circumscribi posset, facile videretur. Ita veluti fictus ab aliquo Deo, ac Diuinitus è coelo demissus vnus esset in terris rebus hominum praeficiendus: in augustissimo orbis terrae consilio, Romanorum Rex, Principum suffragijs, id sibi certatim populis omnibus votis deposcentibus deligitur, ac more & instituto maiorum Aquisgrani summæ dignitatis insignibus,
quod

quod foelix, faustūque, fortunatum, Chri-
stianæ Reipub: esset honestatur. Fuit hæc
quidem, in Austria familia, maiorum vir-
tus, vt summos honores virtutibus maxi-
mis anteire, expectationem hominū, cum
sibi maxime de illis sponderent, longe su-
perare etiam viderentur: sed illud in Fer-
dinando eximium, ac longè pulcherrimū,
cum ad tantam dignitatem, & quidem il-
lam partem florenti sua etate, regna nobi-
lissima atque opulētissima accessissent, haud
propterea extulisse animum, non sibi ma-
iores Spiritus sumpsisse, ea inquam etate
que ferri facilius, quàm regi consilio po-
test, summa præterea fortunę indulgentia,
tantam inter homines potestatem adeptū,
tueri constantia quadam singulari, graui-
tateque potuisse. Ac vereor interdum ne
quis putet, secutum me eorum mo-
rem, qui magnos homines laudare consue-
uerunt,

uerunt hanc tantam virtutem Ferdinando
Cæsari tribuere (nihil enim hac vna in
summo rege maius, diuinius admirabilius)
illud vos etiã atq; etiã monitos velim, cū
illū mittissimū regum omniū, lenissimum,
æquitate animi singulari & moderatione
fuisse contendo, non me rei amplificandę
causa, ac Rhetorum more, sed explicandę
ac significandę loqui existimetis. Nam
illud etiam minime esse silētio prætereun-
dum puto, vbi ab eodem in summo impe-
rio iustitię partes exigerentur, vt id esse
voluntatis magis & Iudicij, quàm naturę
atque ingenij videretur, neminem acro-
rem vnquam vindicandis hominum scele-
ribus, constantiorem neminem, grauiorē,
vt tamen longe acerbitas abesset, hoc vno
fuisse. Quę autem, tanta parta dignitate
eius auspicia, administrando imperio fue-
runt? Cum maximi Reges, bellis graui-
simis

simis gerendis in mutuam perniciem pu-
gnarent, Hispaniam, Galliam, Italiam per-
petuis cladibus, incendijs, populationibus
complerent, Turcarum tyrannis formido-
losa arma Christianis populis, immensas
opes, potentiam non ferendam ostentaret,
ruinam, exitium moliretur, cum, inquam,
per vnius vrbs excidium, quæ eadem est
Christianæ Reipub. vnicum propugna-
culum ac firmissimum, Germaniæ Impe-
rio, Italiæ, Galliæ, ac totius Christiani no-
minis immineret: vnus Ferdinandus inui-
cto animo, & aduersus ingentem malorū
molem obfirmato, in tanto rerum discri-
mine trepidantibus omnibus, non ille qui-
dem cunctando, sed celeritatem summam
adhibendo, id quod temporis ratio postu-
labat, rem nobis restituit, ac magnam cla-
dem à Christiana Repub. ingens dedecus,
foedissimam labem summa sua cum glo-
ria

C ria

ria auertit. Ita cum potentissimus hostis
atq; Immanissimus, ducenta hominū mil-
lia, per Pannoniam in Austriam effudisset,
atq; arctissimē obsessam urbem, aut vi aut
metu propediem in potestatem redacturus
videretur, retro redire, soluta obsidione,
ac fuga precipiti elatum maiore metu atq;
ignominia omissa re, quam vi in principio,
& audacia tentata, se per Illyrium, in
Thraciam recipere foedissimē coegit. Re-
uocate, quæso auditores, in memoriam,
quæ deinceps Ferdinandus bella gesserit,
(non enim nostrum consilium est singilla-
tim omnia enumerare, qua in re dies antea
me, vox, latera deficient necesse sit) qua
magnitudine animi, qua virtute, quo con-
silio, vnus Christianæ Reipub. propugna-
tor fortissimus totius orientis potentissi-
mo tyranno, se suosque hinc effusissimis
sumptibus, hinc periculis, maximis defun-
ctus,

ctus, obiecerit. Neq; enim ea vera laus est,
vnum bella multa confecisse, maximas vr-
bes cepisse, diuictas prouincias, regna atq;
imperia suæ ditionis fecisse: Sed pro salute
suorum, pro patriæ libertate, pro iustissi-
ma causa bellum illatum defendere coa-
ctum, tueri suos preclarè & cum laude po-
tuisse. Ita apud Athenienses, non minis
quam Miltiadis, Themistodis, Periclis cele-
bre codri Regis nomen, apud lacedæmo-
nios Leonidæ quam Lysandri, Agefilai,
qui in acie pro suorum salute occubue-
runt. Sunt quidem iusta arma, non quæ
studio gloriæ, odio, cupiditate immani
dominandi, ac proferendi Imperij fines ge-
runtur, sed quæ ita sunt salutaria suis, vt
vnis modo hostibus atque in illa vltro in-
currentibus exitium perniciemque affe-
rant. Ita vero cæteri Reges maximi victo-
rias & triumphos iactēt, vt fateantur odio

C ij se &

se & cupiditate victos, perpetuis cladibus
penè ad interitum Christianam Rempub.
redegisse: eam laudem Ferdinandus ada-
mauit, quam veræ & solidæ gloriæ effectri-
cem consentiens fama bonorum, nomen,
immortalitas consequatur. Hic vero, faci-
te, vobis veniat in mentem, qui status to-
tius Christianæ Reipub fuerit futurus, si
immanissima bellua & sæuissima perruptis
Pannoniæ claustris, quibus constricta tene-
tur, Christianos Reges, dum inter se odijs
& bellis certabant, totius orientis viribus
agressa esset. Ita enim vobis statuendum
est, tot tantaque esse Ferdinandi in vos be-
neficia & merita, quot quantaque vobis
mala, clades, interitus, atque euersiones vr-
bium erant timenda, nisi is à vestris capiti-
bus ea sua virtute auertisset. Huic vni ve-
re patriæ parenti, vere Augusto, vere
Christiani nominis defensori, quod viui-
mus,

mus, quod patria fruimur, liberis, coniu-
gibus, atque omnibus quæ in vita charis-
sima habentur referimus acceptum.
Quid enim non ille fecit, quam viam in-
tentatam reliquit, quam non rationem
consilij iniuit, vt pacatis Christianorum
Regum animis, ac priuatis simulatibus
Reipub. condonatis, tanto hosti in nostrã
ruinam incumbenti, communibus viri-
bus obuiam iretur, magna labe è Chri-
stiana Repub. tolleretur, Imperij Maie-
stas, in antiquam dignitatem & gloriam
vindicaretur? Qua ex re illi debita im-
mortalis laus, & quod quidem grauissimũ
est, magna Christianorum Regum igno-
minia, cõstitit, nobis aduersa fortuna cer-
tissimam gloriam, hoc vno Imperatore,
honestum otium, pacem, securitatem, fi-
nium propagationem inuidit. Desertus
autem ille in tanto rerum discrimine ab

C iij om-

omnibus, non ob id tamen deseruit suos,
sed in perpetua quadam vigilia manendo,
ita se per septem & triginta Annos gessit,
vt sperandum sit, Maximilianum filium
ijsdem vestigijs paternam gloriam perfe-
cutum, non ex Pannonia solum, sed ex
Thracia vniuersa, Christianorum Princi-
pum dissidijs attollentem in nos vires ho-
stem, vltra Bosphorum profligaturum.

Cum autem tanta eius virtus, animi vis,
vsus, rebus bellicis esset, pacis artibus, reli-
gione ac pietate in Deum immortalem v-
nus maximè excelluit. Quis enim illo
sanctior? quis sacra, ritus, supplicationes,
preces, publicè priuatimque constantius
tueri vnquam aut maiore cum laude po-
tuit? Nihil ille vnquam facere animum
induxit, nihil prius aggressus est quin à di-
uis, rebus auspiciatus, diuino semper im-
plorato auxilio ad finem perduxerit. Qua
in

in re commemoranda, id quod vobis quo-
que pro vestra summa in illum obseruan-
tia vsu venire intelligo, non sine gemitu
tamen & lacrimis mihi videor illum, in
hoc sanctissimo Dei Optimi Maximi do-
micilio, in his ipsis, inquam, subsellijs, pro-
cumbentem in genua, atque ex imo pe-
ctore suspiria ducentem, vota pro vestra
salute & incolumitate suscipere, preces ef-
fundere, ac si fieri posset, Deum vobis ve-
strisq; rebus propiciam e caelo aduocare.
Nunc illud quis ignorat, in componenda
Religionis controuersia, re vna omnium
maxima & grauissima, quantum operæ
studijque posuerit, quas rationes quæ cõ-
silia pacis semper ocij & concordia autor,
inierit? Magno quidem totius Christia-
næ Reipub. incommodo factum videmus,
vti tot opinionum, variantes per eam Re-
ligionis mētes hominum subire potuerint.

Gra-

Graue enim est amittere fortunas, parentes, pelli in exilium, à coniugibus, à liberis diuelli, in seruitutem abduci. Sed omnium grauiſſimum est, de salute in discrimen venire, æternis supplicijs damnari, atque à sempiterna illa & immortalī vita, qua beati in Cœlo fruuntur, qui finis nobis propositus est optimus & beatissimus, prohiberi. Ita Pius & Religiosus Imperator in omnibus publicis priuatisque colloquijs, cum crebro Principum conuentus dissidij tollendi causa indicti essent, id vnum agebat, id cogitabat, in id vires omnes neruosque intendebat, vt ex orbe Christiano vniuerso coacto patrum concilio, optatam pacem atque ocium tandem nobis restitueret, qua ex re vna fore intelligebat, vt communi consilio principibus ac liberis Ciuitatibus in id conspirantibus, salutare, bellum aduersus commu-

munes hostes susceptum, in primis ex usu
ac dignitate Reipublicæ gereretur.

Iam in legum obseruantia, seueritate
iudicioru, morum disciplina tuenda ita
se acrem vindicem ostendit, vt nunquam
odio in quenquam, similitati, cupidita-
ti vlciscendi, quæ vna res in primis in
magnis animis dominatur indulserit, po-
testatem Imperij, atque animaduertendi
seueritatem, clementia quadam singulari
ac propè diuina lenitateque temperarit.
Sunt enim hæ prima virtutes & præcipuæ
in summis Regibus spectandæ, & qui ma-
gna Imperia administrant, vt in hominum
malefacta sæuiant, liberum animum ab ira-
cundia, odio, cupiditate in eos ipsos re-
tineant, in quos exempli constituendi
causa animaduertunt. Ita Ferdinandus
sibi esse iustitiæ partes præstandas duxit,
vt clementiæ lenitatisque suæ esset memor,

D ita

ita indulgendum vbi id misericordie partes.
postularent, vt potestatis atque Imperij,
quæ vna res maxime iudiciorum seuerita-
te stat, minime obliuisceretur. Nam
audiendis hominum postulatis, cuiuscun-
que illi ordinis & fortunæ essent, ea facili-
tate comitateque fuit, vt illi in hac par-
te laudis constet parem vnquam fuisse ne-
minem, vnum esse hoc tempore, qui si fie-
ri possit, hæreditariam hanc à parente vir-
tutem, studio etiam maiorem reddat, cu-
ius nobis imperium & Christianæ Reipu-
faustum diuturnumque ominamur, Ma-
ximilianum filium videamus. Quotidie
enim stans horis, omnibus aditu aperto, vt
nullum discrimen esset, se adeuntes sup-
plices, oris quadam hilaritate mirifica
accipiebat, vt timidis fiduciam adderet,
audentiores ne extra præscriptos sibi can-
cellos euagarètur, Maiestate grauitateq;
pari.

pari, tanquam freno moderaretur. Sæpe
quidem ipse vidi cum vno atque eodem
die, centum supplices libellos acceptos le-
gerit, totidem de consilij sententia priua-
torum causas re cognita transigendas cu-
rarit. Qua in re illud cum humanitatis
cuiusdam incredibilis & inaudite, tum po-
pulare maxime, vbi puerum ætatis imbe-
cilitate, foeminam pudore prohiberi ani-
maduerteret, vltro occurrere, quid sibi
vellet percunctari, qui esset adeundus, à
quo transigenda res esset, qua de re ageret,
indicare ipsum consueuisse.

Criminationibus maleuolorum audi-
endis, prudentia idem & continentia sum-
ma fuit, vt neque negligeret delata, nec te-
merè in eos quorum nomina deferrentur,
prouinciaret, re ad consilium reiecta, ac
de more cognita, animaduerti in reos &
conuictos sceleris iuberet. Laboris tolle-

D ij ran-

rantissimus fuit, vt satis aptus eo profe-
rendo haberetur, non à natura magis, quã
diuturna exercitatione atque vsu paratus.
Negotium vbi vtrumuis liceret, otio præ-
ferebat, in otio & cum vacuus esset non
cessabat, sed siue solus ageret, quæ agenda
viderentur secum animo meditabatur, si-
ue esset idem cum suis de rebus præclaris
sermones serendo, tempus summa cum vo-
luptatè traducebat. Temporis iacturam
nemini ferendam, viro Principi minimè
omnium arbitrabatur, otium tanquam
pestem quandam, & quæ otium volupta-
tes consequuntur, detestabatur. Corpo-
ris exercitamenta præter venationem, cu-
ius omnium studiosissimus habitus est, si-
ue ea oblectationem quæreret, siue pluri-
mum id tuendæ valetudini & viribus con-
firmandis conducere arbitraretur, facile
contempsit. Quo consilio & qua animi
vi

vi rebus prouidentis prospiciendisq; esset,
cum vos mihi testes locupletes estis, quos
ille in partem consiliorum, vbi de summa
Repub. esset agendum aduocare consue-
rat, tum ipse omni suæ vitæ cursu, ex ijs
bellis inprimis, quæ vel foeliciter gessit &
confecit, vel magna cum laude à nobis a-
uertit, satis declarauit. Quid? nonne is
vnus Christianorum Regum omnium,
magnitudine animi ac sapientia quadam
incomparabili, Turcæ potentiam sustinē-
do, hinc pacis, hinc belli artibus, quæ sem-
per in illo summa cum gloria viguerunt,
otio populorum & securitati consulere
conatus est. Quid vero gloriosius? quid
magnificentius? quid admirabilius, quam
vnum pro communi salute bella suscipere,
dimicare, Regni fortunas, caput, salutem
in discrimen conijcere? Belli præmia ad
alios, rerum gestarum gloriam modò ad

D iij victo-

victorem peruenire? Atque hic te Pan-
nonia, quæ eadem es mihi patria charissi-
ma, appello, huius enim vnus vigilantia,
studio, sapientia, quicquid tanquam è fau-
cibus ereptum, appetenti atque hianti tua
viscera & sanguinem hosti crudelissimo,
possides, acceptum refers.

Huius inquam, vnus virtuti, & con-
silio, quòd minus seruitutis iugo acerbif-
simo ceruices subieceris, omnibus Asiæ
atque Africæ viribus in te, crudelissimo
hoste incumbente, debes vindici eidem
eorum futuro quæ amisisti, nisi eam glori-
am integram solidamque filio reliquisset,
quo Imperatore Maximo & Fortissimo,
nunquam est nobis hæc spes tanta interi-
tura. Nullum autem ille in te vnquam
studij sui documentum & voluntatis il-
lustrius dedit. Is enim vnus est, qui te la-
bentem sustinere, erigere iacentem, distra-
tam

tam & diuisam firmare, & coniungere, siue summa virtute, atque animi magnitudine, siue rei militaris peritia opus est, maxime possit. Quod beneficium in te tantum, non solum tu quidem grato animo in praesentia agnoscere, sed tueri in posterum fide pari & constantia vltro tanti Regis praecclaros conatus adiuuando, totius Regni contractis viribus, debes. Ac cum aliae virtutes omnes in Ferdinando viguerunt, quae sunt summo Principe & Rege dignae, tum naturae bona in eodem eximia & praecclara fuerunt, vis ingenij singularis, memoria par, facultas ad dicendum quae vellet mirifica: ad haec quae studio comparauerat, & maximarum rerum vsu reconditiores literae, rerum varia cognitio, praeccepta iurisperitorum & Philosophorum scita, vt sepe eruditissimis hominibus, querendo, sciscitando, interrogando vltro

ultro negotium faceretur, Historię studi-
um & cognoscendarum rerum, quas maio-
res cum laude gessissent, acerrimum.
Inter prandendum & cum animi remissio-
à rebus grauioribus quęreretur, variarum
rerum, atque admirabilium commemora-
tione mire gaudebat, cum noua semper &
relatu admiranda sua sponte ipse afferret.
Hispanicam linguam vna cum lacte à ma-
tre hauserat, latina frequentius vtebatur,
complurimum Gallica, quam equè calle-
bat, oblectaretur. Germanica in primis
disertus & copiosus esset. Munificus &
liberalis cum in omnes alios semper, tum
in primis in eos fuit, quorum in se merita
& præclara & testata essent, nunquam be-
neficium differri (minui enim & vilescere
cunctatione & mora arbitrabatur) diu-
ius spe eorum quibus benignè faceret,
desiderariue passus. Ita cum re illos iu-
uabat.

uabat, in quibus suum beneficium collo-
carat, tum illud assequebatur, quod ma-
ximum est, vt exemplo cæteri incensi,
fierent ad præclare agendum alacriores.
Assentatores, gulæ & voluptatum admi-
nistros, ac si qui alij infamia grauiore la-
borabant, pessimè oderat, Magistratus di-
gnitates, & Regni munera ampliora, ita vt
nihil gratiæ daret, omnia vni virtuti tri-
bueret, non qui opibus & nobilitate, sed
qui vitæ innocentia, atque integritate pre-
starent, deferebat. Atque ita ille qui-
dem perpetuo se in vita gessit, in morte,
tanquam ex ea certissimus illi ascensus in
Coelum pateret, pari fortitudinis & con-
stantiæ laude diem supremum clausit.
Cum enim Lethali febre correptus, atque
aliquam diu conflictatus esset, nono Cal.
Augusti, quem diem festum D. Iacobi.
Hispaniarum patroni, diuinitus sibi fore

E vi-

vita extremum prædixerat, è vita migravit. Nam multos ante dies, cum sacrosanctam Eucharistiam tranquillo ac placido animo de more sumpsisset, multa grauitè & copiose de mortali vita, multa de futura differens, libenter se cum Diuo Iacobo, quem patriæ suæ præsidem & tutelarem, Religione summa & sanctimonia venerabatur, Cœlum petiturum dixerat. Ita si eos qui mortalem vitam, cum bene, beateque vixissent, sanctè & religiosè exuerunt, foelices fortunatosque ducimus, quid de tanto Imperatore statuendum, qui per summam laudem, antea actam vitam, omni genere virtutum, pietate, religione, sanctitate clarissimus, tam laudabili & forti exitu finierit? Nemo posthac tam ferus, nemo tam barbarus, tam obstinato, atque obfirmato ad omnia scelera & flagitia animo est futurus, quem

quem non flecti, corrigi, ad meliora vitæ instituta animum conuertere, colere fidem, religionem, officium, cui tam sanctus & beatus exitus sit perspectus, credendum sit. Tantam viri fortissimi, à nobis factam iacturam, amissum Regem tantum, Ducem, Imperatorem, cuius auspicijs erat Christiana Respub. tuta futura, non hoc lugubri vestitu modo, qui animorum est Index, sed fletu, lacrimis, si ille modo pares sunt, ad doloris magnitudinem significandam, prosequamur.

Sit hoc quidem nobis solatium vel maximum in malis, non esse cum illo extinctam natiuam illam virtutem, cuius recordatio perpetuo in nostris animis hereat, vigere in Imperatore filio eandem animi magnitudinem, constantiam, grauitatem, sapientiam, superesse florentem ætate, corporis atque animi viribus, gloria,

E ij rebus

rebus gestis, qui nobis effigiem illam humanitatis, clementiæ, lenitatis referat, superesse pari virtute præditos filios, ne tanto nobis inflicto vulnere concidere necesse sit. At non sit hæc nobis modo vna causa doloris, exprimat à nobis lachrimas, auulsus à complexu liberum, non natura sed voluntate, sed animo, sed iudicio parens. Hoc enim illi pietatis nomen sanctissimum debetur, qui nos liberum loco habuit, fouit, texit, tutatus est, qui suo periculo à nostris capitibus certam perniciem, cladem, exitium auertit, qui Maiestate Imperij, Gloria, Nobilitate, Regum omnium Maximus & Clarissimus, cum suis vt cum æqualibus vixit, quem improbi vindicem scelerum acerrimum, mitissimum lenitate, facilitate summa, humanitate singulari atque incredibilem probi experti sunt, plura dicere, audi-

to-

tores constitueram, si vlla modo dicendi
tanta copia est, quæ Ferdinandi laudes
æquare possit, sed cum doloris magnitu-
dine, tum lachrimæ ab instituto auer-
tunt, quæ me obruunt, atque impediunt
dicentem. Detur igitur quidquid tem-
poris reliquum est dolori, fletui, lachri-
mis, & sit eius laudandi finis, cuius nullus
esse finis perpetuo fluens Oratio, peren-
nisq; esse possit, ego vtcunque
officio sum functus.

Dixi.

ibis ob modo dicendi
tunc copia est, que Ferdinandus laudes
sequere potest, sed cum dolore magnu-
do me, non lacrimas ab inflicto an-
tunc que me obrunt, sedque impediant
dicentem. Deum igitur quodquid tem-
poris reliquum est, dolens, lacrimis
tuis & sic eius laudandi tuis, cuius nullus
est finis perpetuus. O tuis, per-
tuis, est potest, ego ut cupide
est officio sum functus.

Dixi.





ax T n 2100

X2212 145

mc



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

II n
2100

ATIO

E AVGVSTISS.
FOELICISS. PACI-
IMP. FERDINANDI I.
NDISS. FRANCISCO FOR-
Varadien: præposito
Cæs. M. Consilia-
eptima Augusti,
in Templo
Stephani.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

AVSTRIÆ EXCV-
hael Zimmerman.
M. D. LXV.

*Steinmetz saluberrimæ facultatis Medicæ,
atorz Mathematicæ professori ordinario, et
iucundiss: Johannes Kalla 1665*